PARS PRIMA.
DE AMBITU VETERI.
CAPUT I.
GRAECIAE DE AMBITU LEGES.

I. ATheniensés flagitiosissimum, & non una poena luendum crimen arbitrabantur, pecuniam pro muneribus publicis capere, suffragia dantibus, pollicentibusve vendere, seu quod idem est, de Republica cum quoquam pacisci; hinc natae illae leges pulcherrimae, sanctionibus saluberrimis munitae, de quibus nobis testatur Graeciae quondam lumen Demosthenes in Mediana sic loquens: *Si quis Atheniensium aliquid ab aliquo acceperit, aut ipse alteri dederit, aut pollicitis aliquos corruperit ad nocendum populo, atque etiam si idem per civem aliquem quocunque modo aut machinatione fecerit, ignominiosus esto* * *tum ipse, tum liberi, tum quicquid ejus est.* **

* Ignominiosus hic dicitur exclusus omni honore & administratione Reipublicae ac usu forensi, infamis, intestabilis, toto denique jure civitatis privatus, quasi exul in Patria inter suos vivens; de quo Isocrates: *Longe miserius est apud suos cives ignominiosum vivere, quam apud exteros exulare*, itaque hæc pœna parum à morte naturali aberat.

** UBBO EMMIUS in Graec. Rebusp. p. m. 112.

II. Paulo post latas has omnium legum saluberrimas leges ita demum crescebat damnatus ille honores emendi ardor, ut capite civili deminui leve quodammodo videretur, neque enim satis erat populo, dignitates ac magistratus civiles donis obtemperare, nisi quos indignos summo scelere judices creaverat, hos eodem furore ductus exercitibus Imperatores praeficeret * ... tum vero omnibus bonis incumbendum erat, ut malo obviam iretur, & certissima, quæ incumbebat pernicies à Repu-

Republica averteretur ; ſanxerunt itaque , ut qui vel ſenatum, vel populum vel quemcunque alium jus ſuffragii habentem donis muneribus, pollicitationibusque corrumpere tentaret , patrimonio omni ſpoliatus gladio è vivis ex eſſe juberetur. **

* ISOCRATES orat. de pace : *Cum plurimas tulerimus leges, ita parum has curamus, ut cum pœna capitis in eum ſit ſancita, qui AMBITUS convictus fuerit , eos , qui largitionem palam faciunt , IMPERATORES deligamus.*
Conf. MEURSII THEMIS ATTICA l. 1. C. 8.

** Verba hujus legis nobis Demoſthenes ſervavit in orat. adverſus Leptinem : *Eſt vero & lex apud vos , ſi quis pollicitationibus vel populum vel ſenatum vel judicium deceperit , eum extremo ſupplicio afficiendum eſſe.* Iterum poſtea : *Eſt vobis lex antiqua ex iis , quae probatae ſunt, ſi quis aliquid pollicendo verba populo dederit , ut judicio ſiſtatur , ac convictus morte mulctetur.* MEURSIUS in Themide attica l. 1. c. 8. adde Graec. Respublicas ab UBBONE EMMIO deſcriptas tom. 1. p. mihi. 112.

III. Cicero l. 2. §. 22. n. 77. de Officiis narrat Apollinem Pythium oraculum edidiſſe, SPARTAM nulla re alia niſi avaritia (& Ambitione) perituram ; * addit, id ſibi videri non ſolum Lacedaemoniis, ſed & omnibus opulentis populis praedixiſſe.

* Verſus autem Talis eſt : *Amor pecuniae SPARTAM perdet & nil aliud*; legitur apud Scholiaſtem Ariſtophanis in ειρηνη p. 668. & PLUTARCHUM in vita Agidis, J. F. GRONOV. in notis ad hunc Ciceronis locum.

IV. Inter cetera, quae in Reipublicae Carthaginienſis adminiſtratione vitioſa notavit Ariſtoteles , & haec erant , * quod SUFFETES ac ſummos Belli duces magiſtratus ibidem maximos non ex optimis quibusque aut virtute præſtantiſſimis , verum ex iis , qui opibus quam maxime valerent , eligendos ſibi arbitrarentur Carthaginienſes ; viderat quippe politicorum acutiſſimus conſuetudine ſemel invecta, ut in Honorum petitione virtus à pecunia à calliditate probitas & meliores à

dete-

deterioribus ſuperentur, nihil firmum, nihil ſtabile amplius poſſe ſubſiſtere, illósque, qui Rempublicam pretio emerant, ad eandem pecunia vendendam ſemper eſſe paratiſſimos.

* EMMIUS in Graec. Rebusp. Tomo II. p. m. 22.

CAPUT II.

AMBITUS ROMAE EXERCITUS, ET LEGES CONTRA LATAE.

I. MUltis quoniam modis Romanorum in Republicâ AMBITUS committi, legésque in petendo Magiſtratu poterant violari; propterea videtur faciendum, ut antequam leges de AMBITU latas exponamus, partes ipſius AMBITUS exquiramus, easque diſtinguere contendamus;

II. Eſt igitur intelligendum, omnem petitionis rationem poſitam fuiſſe in AMICORUM & POPULI voluntate concilianda, * POPULI cum ejus erat ſuffragia ferre, Magiſtratus nominare, illósque, quibus honores tributos vellet, è multitudine ſeligere... AMICORUM autem ut populum huic potius bene velle, quam alteri inducerent. Mira hic erant Romanorum artificia, quibus ſibi & amicorum & populi favorem conciliarent.

* Q. CICERO de Petit. Conſul. ℣. 13. *Petitio Magiſtratuum diviſa eſt in duarum rationum diligentiam: quarum altera in AMICORUM ſtudiis, altera in POPULARI voluntate ponenda eſt.*

III. AMICI erant PROPINQUI, NECESSARII ET QUI ALIQUID OSTENDEBANT VOLUNTATIS. PROPINQUOS vocabant, qui aut cognatione aut ad finitate conjuncti erant:

erant : NECESSARIOS, quos consuetudo vitae conjunxerat, ut : *Familiares*, *tribules*, *vicinos*, *clientes*, *municipes*, & *qui in eadem Societate*, Collegio, *Sodalitate*, & *ordine erant*: ALIQUID VOLUNTATIS OSTENDERE videbantur Salutatores, Deductores, Affectatores, Suffragatores. * Hi omnes ergo pro Candidatis prensabant, eosque laudabant, commendabant, & rerum eorum satagebant.

* De quibus Quinctius Cicero de Petit. Cons. IX. n. 27. *Assectationis tres partes sunt, una salutatorum, cum domum veniunt, altera deductorum, tertia Assectatorum. In salutatoribus hoc efficiendum est, ut hoc ipsum minimum officium eorum tibi gratissimum esse videatur. Deductorum autem officium, quo majus est, quam salutatorum, hoc gratius tibi esse significato, atque ostendito, &, quoad ejus fieri poterit, certis temporibus descendito. Magnam affert opinionem, magnam dignitatem quotidiana, in deducendo frequentia. Tertia est ex hoc genere assidua Assectatorum copia, in ea, quos voluntarios habebis, cura, ut intelligant te sibi in perpetuum summo beneficio obligari. Qui autem tibi debent, ab iis plane hoc munus exige : Qui per aetatem ac negotium poterunt, ipsi tecum, ut assidui sint. Qui ipsi sectari non poterunt, necessarios suos in hoc munere constituant.*

Quibus ex verbis apparet *Salutatores* fuisse, qui prima hora domum petitoris venirent, ut salute dicta inde discederent ; *Deductores*, qui praeterea tantisper exspectarent, dum illum domo exeuntem in forum deducerent, qui etiam observare dicebantur, *Sectatores*, qui assidui cum eo omnibus horis essent, ejusque latera stiparent. *Suffragatores*, qui suffragio suo in petitione honoris Candidatum juvabant. Sueton. J. Caes. 73. 2. *Memmii, cujus asperrimis orationibus non minore acerbitate rescripserat, etiam Suffragator mox in petitione consulatus fuit.* Confer Pitisci Lexicon Antiquitatum Rom.

IV. POPULARIS vero aura, qua praecipue ad prosperum hoc in mari cursum opus erat, captabatur modis potissimum quatuor : NOMENCLATIONE, BLANDITIIS, ADSIDUITATE, & BENIGNITATE ; quae omnia paucis hic loci nobis delibanda.

V. NOMENCLATIO eam habebat vim, ut petitor singulos

gulos cives suo quemque nomine adpellaret, ac salutaret; cumque id fieri vix posset in tanta civium multitudine : alebant servos, qui Candidatis civium singulorum suggererent nomina; unde eos NOMENCLATORES * vel MONITORES adpellabant; dicti etiam sunt *Fartores*, quia veluti in aures infarciebant civium nomina.

* CICER. ATTIC. IV. 1. *Ad urbem ita veni, ut nemo illius ordinis homo NOMENCLATORI notus fuerit, qui mihi obviam non venerit.* SENECA de benef. 1. 3. *Quemadmodum NOMENCLATORI memoriae loco audacia est : & cuicunque nomen non potest reddere, imponit.* Adde CIC. pro MUR. cap. XXXVI. 77. pertinent huc quoque illa HORATII Epistol. I. 6. 50. Si fortunatum species & gratia praestat, mercemur servum, qui dictet nomina, laevum, qui fodicet latus, & cogat transpondera dextram porrigere. Hic multum in Fabia valet ille Velina : cuilibet hic fasces dabit, eripietque Curule, cui volet, importunus ebur.

His suadet HORATIUS, ut, qui honoribus studet, paret servum, qui dictet civium nomina & laevo latere fodiendo admoneat petitorem officii sui; nimirum cogat transpondera dextram porrigere, id est, transtogam, quam scimus brachium cohibuisse. Dum enim irent lentius, dextris pondere togae gravatis, admonebat eos NOMENCLATOR, ut dextra e toga exserta prensarent : quod cum aliquo incommodo faciebant. PITISC. in LEX. voce NOMENCLATOR.

VI. BLANDITIAE varia continebant adsentandi artificia; blande adpellare est non proprio, sed honestiore nomine salutare * alios itaque Candidati Patres, alios Fratres, alios Patronos adpellabant, nec pudebat eos & frontem & vultum, & sermonem ad eorum, quoscunque convenerant, sensum & voluntatem commutare **

* HORAT. Ep. cit. v. 54.

------ Frater, Pater adde

Ut cuique est aetas, ita quemque facetus adopta.

** BLANDITIAM, quam in petitione desiderat QUINCTIUS, idem ipse declarat, cum ita praecipit Fratri de pet. Cons. XI. 32. *Deinde id, quod*

natura

natura non habes, induc in animum ita simulandum esse, ut natura facere videare . . opus est magnopere BLANDITIA: quae etiamsi vitiosa est & turpis in cetera vita, tamen in petitione est necessaria. Tunc enim, cum deteriorem aliquem adsentando facit, improba est: cum amiciorem, non tam vituperanda. Petitori vero necessaria est, cujus & frons & vultus & sermo ad eorum, quoscumque convenerit, sensum & voluntatem commutandus est.

VII. Opus porro erat ADSIDUITATE, nec parum prodesse videbatur Candidatis, adsidue esse Romae, atque in foro, adsidue petere, saepe eosdem adpellare, ambire, prensare, rogare. Circuibant ergo forum supplices populo, circuibant omnia Italiae conciliabula, prehendebant singulorum dextras, beneficia sua in singulos commemorantes, cicatrices, si quas pro Patria dimicantes acceperant, pectore nudato ostendebant, & quae erant hujus generis alia. *

* Adsiduitatis vis qualis fuerit, demonstrat idem QUINCTIUS, cum loco citato pergit: *ADSIDUITATIS nullum est praeceptum: verbumque ipsum docet, quae res sit. Prodest quidem vehementer, nusquam deesse: sed tamen hic fructus est adsiduitatis, non solum esse Romae, atque in foro, sed adsidue petere, saepe eosdem adpellare: non committere, ut quisquam possit dicere, quod ejus sit, consequi possis, si abs te non sit rogatum, & valde ac diligenter rogatum.*

VIII. Sed omnium horum maximum momentum habebat BENIGNITAS, si plura populo dedissent, * Congiaria, convivia, ** prandia, munera, cetera; qua in re tanta erat quorundam profusio, ut rebus omnibus erogatis furiosum Patrimonii sui facerent exitum. ***

* De CONGIARIIS testis est LIVIUS, ubi loquitur de comitiis Censoris M. ACILII GLABRIONIS: *In hunc maxime, quod multa CONGIARIA habuerat, quibus magnam partem hominum obligarat, favor se populi inclinarat.* Videatur SIGONIUS de Antiquo Jure populi Romani T. 2. p. 645. & PITISCI Lexicon voce CONGIARIUM.

** De conviviis saepe laudatus QUINCTIUS in hunc modum: *Benignitas autem late patet: & est in re familiari, quae quanquam ad multitudinem perve-*

pervenire non potest, tamen ab amicis laudatur, & multitudini grata est: est in CONVIVIIS, quae facito, & abs te & ab amicis tuis concelebrentur, & passim & tributim.

*** ASCONIUS PAEDIAN. in CICER. pro SCAURO.

IX. Nondum hic stiterat Candidatorum industria; saepe eo tandem prolapsi sunt impudentiae, ut praesente pecunia emere suffragia non erubescerent: eaque de causa secum producebant INTERPRETES, * per quos pactio induceretur; SEQUESTRES ** apud quos deponeretur pecunia; & DIVISORES, *** qui singulis nummos distribuerent. CICERO proem. VERR. c. 12. n. 36. & ASCON. PAED. ad eundem locum.

* Interpres vocatur, qui inter venditorem & emptorem pararius, ac proxeneta difficultates inter utrumque oriri solitas ob pretium, explicat, Graecis dicebatur προπράτως, προπώλης. PITISCUS voce: interpres.

** L. 39. ff. de adq. & amit. possess. *Interesse Puto, qua mente apud Sequestrum* deponitur res. l. 110. ff. de verb. sign. *SEQUESTER dicitur, apud quem plures eandem rem, de quâ controversia est, deposuerunt: dictus ab eo, quod occurrenti aut quasi sequenti eos, qui contendunt, committitur.*

*** DIVISORES vocabantur, qui pecuniam inter tribus viritim dividebant, & ad suffragia largitionibus corrumpenda solebant comparari hujus operis veluti redemptores; pro sordido ac vili ministerio semper majores hoc habuerunt, unde probri loco saepe nepotibus objectum, si Patres DIVISORES fuissent: ita Octaviano objecerunt nonnulli apud Suetonium. c. 3. n. 1. *Patrem argentarium atque etiam inter DIVISORES, operasque campestres produtum.* Plura hanc in rem, quae hodie nimis obvia, collegit incomparabilis PITISCUS in LEXICO voce: DIVISORES.

X. Immo saepe adhibita Vis est turba vel factione conducta, quae terrorem incuteret populo, eaque SODALITIORUM nomine veniebat... * atque ita de AMBITU & partibus ejus hactenus; nunc leges, quibus obviam huic malo itum est, recenseamus oportet.

* Omnia

* Omnia haec ad modos, quibus AMBITUS veteribus committebatur, pertinentia accurate satisque copiose exposuit SIGONIUS de Antiquo Jure populi Romani tom. 2. c. 30. quem potissimum his in rebus exponendis secuti sumus, ad quemque lectorem nostrum, si quis erit, ne nimis longi videamur, remittimus.

XI. Cum ergo tam turpe vitium tam altas florentissima alias in Republica egisset radices: nihili reliqui fecerunt Romani, ut illud legibus quam plurimis coercerent. Sane non temere ullum est delictum publicum, de quo tot exstent leges, quot de AMBITU latae sunt. Jam Anno V. C. CCCXXII. adeoque XVIII. post latas XII. Tabularum leges L. *Pinario*, & L. *Furio*, *Tribunis militum consulari potestate*, Senatus autoritate * lex lata est à Tribunis plebis, quo TOGAE CANDIDAE ** usus prohiberetur; hanc tamen legem observatam non esse satis constat.

* LIV. IV. 25. *Placet tollendae AMBITIONIS causa Tribunos legem promulgare, ne cui album investimentum addere petitionis causa liceret.*

** Toga Candida dicebatur, qua Magistratuum petitores induebantur. PLIN. VII. 17. *In Toga Candida bis repulsa notatus à populo.* MACROB. SATUR. I. 16. *Mos fuit petitoribus, ut sumpta Candida Toga nundinis in comitium venirent, & in colle considerent, unde coram possent ab omnibus videri.* Hac nota discreti à vulgo petitores κατ'ἐξοχὴν dicti sunt Candidati.

XII. Deinde Anno V. C. CCCXCVC. *Fabio Ambusto & C. Plautio Proculo Coss.* Sequuta est LEX POETELIA, * a C. POETELIO Tribuno plebis perlata, qua *novorum* ** maxime *hominum*, qui nundinas & conciliabula obire soliti erant, Ambitio comprimebatur. Verum & hanc legem tacito post consensu vel potius consuetudine in contrarium in valescente abrogatam existimare possumus, quippe cum petitores Magistratuum etiam in Provincias ad Coloniarum & Municipiorum gratias colligendas accurrisse constet. ***

* LIV. VII. 15. *De AMBITU ab C. POETELIO Tribuno plebis Auctoribus Patribus tum primum ad populum latum est: eaque rogatione novorum*

rum maxime hominum AMBITIONEM, qui nundinas & conciliabula obire soliti erant, compressam credebant.

** Quinam tum temporis NOVI HOMINES dicebantur, uberrime docet *Quinctius Cicero de Petit. Consulatus*; quinam nostra aetate, lippis & tonsoribus notum est.

*** Lex haec Rosino Antiq. Roman. L. VIII. Cap. XXIX. vocatur Pratelia, nos tamen secuti sumus Hottomannum, Pighium, Pitiscum & Heineccium, quibus omnibus sub Poetelii nomine venit.

XIII. Proxima est lex BAEBIA AEMILIA, à Cn. *Baebio & l. Aemilio Paullo Coss. lata* A. V. CIDIXXI. *, eam adversus largitiones latam esse colligi posse videtur ex Nonio VII. 19. p. 749. *Cato lege Baebia: pecuniam inlargibo tibi.*

* Legis ipsius meminit LIVIUS X. l. 19. Sed verbis hispaucissimis: *Et leges de AMBITU Consules autoritate senatus ad populum tulerunt* . . . confer HEINECCII Hist. Jur. l. 1. c. 3. §. XC.

XIV. Inde A. V. CIDXCIV. nova lege opus fuit, puta CORNELIA FULVIA lata à *Cn. Cornelio Dolabella & M. Fulvio nobiliore Coss.* testante id Livio in Epitomis. Putat Sigonius hac primum lege capitali poena id est exilio cautum esse, ne suffragia donis ac pecunia emerentur. *

* Scribit tamen Plutarchus in Coriolano, *se nescire, quis primus populum largitione corruperit: sero tamen largitionem factitatam satis constare.* Itaque ad eadem tempora illud pertinet Polibii, qui scribit *aetate sua AMBITUM capitalem fuisse*; & quod est apud Plinium Hist. Nat. XXXV. Q. *Coponium AMBITUS damnatum, quod vini amphoram dedisset ei, cui suffragii latio erat.* Sigon. de Jud. l. c. & Rosin. antiq. Rom. VIII.

XV. Postquam autem populus Romanus in mandandis Magistratibus uti Tabella * caepit, tum leges illae latae sunt, quarum Cicero meminit in libro tertio de legibus: *Ne quis Tabellam inspiceret, ne rogaret, ne appellaret; quibus legibus*

studia

ſtudia ſuffragatorum ſublata eſſe inquit, *qui eam ſedulitatem in campum efferebant, ut quos rogarent, eorum etiam Tabellam, ne forte deciperentur, vellent inſpicere.*

* Tabella in Comitiis, cum antea voce ſuffragium ſolerent ferre, poſt legem Tabellariam populo in mandandis ſuffragiis reliquisque actionibus data eſt, & illa munere vocis fungebatur Quare Tabellis oportuit nomina Candidatorum inſcribi, ut daretur illis Tabella Magiſtratus, ſicut prius nominatim iis appellandis creabantur. Erant autem quatuor leges Tabellariae: *quarum prima de Magiſtratibus mandandis: ea eſt GABINIA, lata ab homine ignoto & ſordido. A. V. C. DCXIV. ſecuta biennio poſt CASSIA eſt de populi Judicio: ea a nobili homine*, lata eſt *L. Caſſio*: unde in nummis Caſſiae Familiae egregium Tabellariae iſtius legis monumentum occurrit. vid. Fulvius: Urſinus de Famil. Roman. p. 67. edit. Patini. *CARBONIS eſt tertia de jubendis legibus ac vetandis, ſeditioſi atque improbi civis; uno in genere relinqui videbatur vocis ſuffragium, quod ipſe exceperat CASSIUS, perduellionis: dedit huic quoque Judicio COELIUS Tabellam.* Cic. l. 3. de Legibus §. XVI. n. 35. & 36. Lex Gabinia Tabellam duntaxat in Magiſtratibus creandis dabat. Caſſia vero cautum erat, ut populus, cum Judicaret, niſi in perduellionis crimine, in quo vocem reliquit, Tabella ſententiam ferret. Carboniana legumlationi & abrogationi Tabellam dedit. Coeliana perduellionis Judicio, quod a Caſſio exceptum fuerat. Turnebus in notis adhunc Ciceronis locum.

XVI. Poſtea A. V. C. DCXXXIV. lata eſt lex MARIA * per *C. Marium Tribunum plebis*, qua cautum eſt, ut pontes ** anguſtiores fierent, ne ſuffragatori locus ad rogandum eſſet.

* CIC. de legibus §. 17. n. 38. pontes etiam lex MARIA fecit anguſtos.

** Ad melius intelligendam rationem, vim, naturamque hujus legis paucis pontium iſtiusmodi deſcriptionem texere neceſſe eſt: inter plurimos Romanorum pontes erat quoque PONS ſic dictus SUFFRAGIORUM ex tabulis confectus: in hunc in campo Martio exſtructum adſcendebant, ſingulae per vicem tribus ſuffragia laturae datisque ſuffragiis in aliam campi partem tranſibant, qui locus *mons Citatorum*

torum vocabatur Sueton. Jul. c. 80. n. 8. multos fuisse existimamus, ut esset in ea septa ingressus ex diversis undique partibus, quas seorsim singulae tribus extra septa obtinebant. Nec ita colligebantur suffragia, ut manentibus tribubus in suis quibusque locis rogatores circumirent ipsas tribus: sed ut diribitores tabellas dabant, cum ad pontes populus veniret, ita rogatores transeuntis populi tabellas colligebant. GRUCCHIUS de Comit. I. 4. 11. 5. Pontes autem hos MARIUS lege hac lata fecit angustiores ideo, ut libere cives suffragium ferrent, neque Candidati mitterent, qui tabellam inspicerent, & eodem ponte consistentes aliquid per vim aut fraudem conarentur. MANUTIUS de legibus. c. 9. confer quoque PITISCUM voce I. MARIA & PONS suffrag.

XVII. Ceterum qua lege quaestio AMBITUS perpetua constituta & proprium Praetorem adepta sit, est obscurum, tale autem, quidquam per haec tempora constitutum facile crediderim, siquidem A. V. C. DCXXXIX. cum una petiissent Consulatum Pub. Rutilius, & M. Scaurus, non Rutilius solum, qui repulsam tulerat, accusavit AMBITUS designatum competitorem, sed Scaurus etiam absolutus ab intentato crimine Rutilium. * Nec multo post C. MARIUS, ut addit Plutarchus, cum in praeturae petitione repulsus esset, accusatus est de AMBITU, quia Cassius Sabaconis amici servus intra septa conspectus esset inter eos, qui suffragium ferrent: MARIUS autem excusavit se frigidam, cum aestuaret, ab eo petiisse bibendi causa. Quin etiam idem narrat sextum ab eo Consulatum pecunia esse emptum, & L. SYLLAM in praetura repulsam passum, post, corruptis pecunia tribubus, eam esse adeptum.

* CIC. in BRUT. XXX. 113. idem ORAT. II. 69. adde ASCON. in CIC. pro SCAURO.

XVIII. Per haec etiam tempora lex FABIA promulgata de numero Sectatorum, * à populo antiquata est. Plura hac de lege rescire non potui. **

* Quinam Romanis sectatores fuerint, supra dictum ** & legi FABIAE quae

quae est de numero Sectatorum & Senatus Consulto, quod est L. CAESARE Consule factum, restiterunt. CIC. pro MURAENA XXXIV. 71.

XIX. Ast A. V. C. IDCLXXXVI * M. Acilio Glabrione & C. Calpurnio Pisone Coss. perlata est lex ACILIA CALPURNIA, ** ut, qui AMBITUS damnati essent, iis neque Magistratum capere, neque in Senatum legi liceret, & pecunia mulctarentur.

* In designandâ hujus legis aetate sum secutus Heineccium, Rosinus ut fere semper, sat vitiose ponit annum 641. Sigonius autem à vero me judice quam longissime aberravit, totos enim tredecim annos juniorem istam legem facit.

** De hac lege sic DIO. CASSIUS Hist. 36. p. 20. *Lex ab ACILIO GLABRIONE promulgata est de AMBITU, ut qui ejus damnati essent, iis neque Magistratum capere, neque in Senatum legi liceret, & pecunia mulctarentur, nam post tribunitiam potestatem restitutam, cum multi Senatu moti à Censoribus eum ordinem recuperare cuperent, de omnibus Magistratibus varias coitiones, & conspirationes faciebant. Legem autem promulgarunt Consules, non quod ab AMBITU alieni essent, siquidem & ipsi alieno studio & magna contentione Magistratum eum adepti erant; & PISO AMBITUS accusatus vix evaserat, sed a Senatu coacti, quia C. CORNELIUS TRIBUNUS plebis acerbissimas AMBITUS reis poenas constituere cogitarat, idque maxime populo adprobante: Senatus autem intelligebat immodicarum poenarum denuntiatione hominibus terrorem injici, sed neque, qui accusarent, neque qui condemnarent, repertum iri: modicis autem poenis propositis neque Accusatores, neque Judices defuturos. Itaque cum ante Comitia lex nulla ferri posset, atque interea Candidati multa facinora perpetrassent, ut ne à caedibus quidem abstinerent, decreverunt, ut contra hos etiam lex ferretur. Denique tanta cura caverunt, ne quis largitionibus se corrumpi sineret, ut praeter poenas alias, quas damnatis constituebant, Accusatoribus etiam honores proponerent . . .* Honores autem, quos Accusatoribus constitutos scribit DIO, hi sunt: primum ille, de quo CICERO in Cluentiana, quam habuit Anno hanc legem in sequente: P. POPILLIUS & T. GUTTA, qui causam *de AMBITU dixerunt, qui accusati sunt ab iis, qui erant ipsi AMBITUS condemnati, quos ego non idcirco esse arbitror in integrum restitutos, quod planum fecerint ipsos ob rem judicandam pecuniam accepisse, sed*

 quod

quod Judicibus probarint, quod in eodem genere, in quo ipsi offendissent, alios reprehendissent se ad praemia legis venire oportere.. & ibidem: Deinde si tanta vis fuit istius criminis, ut, qua quisque lege ex illis Judicibus reus factus esset, tamen hac plaga periret, cur in tanta multitudine accusatorum tantis praemiis ceteri rei facti non sunt. Deinde alter ille in CORNELIANA BALBI: Objectum est etiam, quod in tribum Crustuminam pervenerit: quod hic assecutus est legis de AMBITU praemio. CIC. pro MUR. c. 23. legem AMBITUS flagitasti, quae tibi non deerat: erat enim severissime scripta CALPURNIA. Confer. *SIGON.* de Judic. p. m. 653. & PITISCUM voce CALPURNIA Lex.

XX. Legem Aciliam CALPURNIAM A. V. C. IDCXC. * CICERONE & ANTONIO Coss. secuta lex TULLIA de AMBITU, ** M. TULLIO *enim referente placuit Senatui, ut ad poenam, quae AMBITUS crimini constituta erat, decem annorum exilium lege ad populum lata adderetur*, haec DIO. Legem de AMBITU se consulem tulisse CICERO quoque pro MURENA aliquoties significat. Item in VATINIUM: *Atque illud audire a te cupio, quare, cum ego legem de AMBITU ex S. C. tulerim, sine vi tulerim, salvis auspiciis tulerim, salva lege AELIA & fusia, tu eam esse legem non putes?* Vetabat eadem lex biennio, quo quis peteret, petiturusve esset, gladiatores dare, nisi ex testamento praestituta die, ut ibidem & pro SEXTIO ait. ***

* Legem hanc jam superiore Anno L. JULIO CAESARE & C. MARCIO FIGULO Coss. rogari jusserat senatus: sed intercesserat Q. MUCIUS ORESTINUS Trib. pleb. teste ASCONIO in orat. in toga candida. CIC. pro MUR. c. 34. HEINECCIUS in Hist. J. ROM. l. 1. c. 3. §. 110. in notis.

** Nomina leges plerumque accipiebant ab utroque consule. e. g. Lex Aelia Sentia, PAPIA POPPAEA, FUSIA CANINIA. Nonnunquam unicum cognomen iis dabatur, si a DICTATORE vel PRAETORE vel CENSORE latae essent. Tales sunt lex AEMILIA, lex AURELIA & aliae; quid? quod & haec CICERONIS lex unicum nomen tulit, ANTONIUS licet CICERONIS in consulatu & lege hac ferenda fuerit collega.

*** Vid.

*** Vid. omnino pulcherrima CICERONIS Historia per consules descripta per FRANCISCUM FABRICIUM MARCODURANUM civem quondam nostrum ; edita primum Coloniae, postea Amstelaedami recusa, & splendidae CICERONIS operum omnium editioni studio Isacii Verburgii Procuratae, praemissae, Anno 1724. in Fol. Quarto, Octavo ; qui de Doctissimo hoc Grammatico plura volet, adeat oportet Bibliothecam Coloniensem Eximii Hartzheimii.

XXI. Biennio post A. V. C. DCXCII. M. VALERIO MESSALLA & M. PUPPIO PISONE Coss. ab AUFIDIO LURCONE tribuno plebis denuo promulgata lex AUFIDIA de AMBITU, severior etiam, quâm tullia, qua inter alia cautum, ut, qui nummos in tribu pronuntiaverit, si non dederit, impune esset, sin dederit, quoad viveret, singulis tribubus sestertium M. M. M. deberet * sed quam parum diu etiam haec lex valuerit, discimus exemplo CAESARIS & BIBULI. **

* AUFIDIAE legis meminit CICERO in Ep. ad ATTIC. de AFRANIO loquens, cui POMPEIUS consulatum emerat teste in CATONE minore PLUTARCHO : *Nunc est exspectatio comitiorum, in quae omnibus invitis trudit noster Magnus AFRANIUM, atque in eo neque autoritate neque gratia pugnat, sed quibus PHILIPPUS omnia castella expugnari posse dicebat, in quae modo asellus onustus auro posset ascendere. Consul autem suscepisse negotium dicitur, & domi divisores habere, quod ego non credo ; sed Senatus Consulta jam duo facta sunt odiosa, quod in consulem facta putantur, CATONE & DOMITIO postulante, unum, ut apud Magistratus inquiri liceret, alterum, qui domi divisores haberent, adversus Rempublicam videri facere. LURCO autem tribunus plebis solutus est AELIA & FUSIA, ut legem de AMBITU ferret, quam ille promulgavit. Novi est in lege hoc, ut, qui nummos in tribu pronuntiaverit, si non dedit, impune sit, sin dederit, ut quoad vivat, singulis tribubus sestertium M. M. M. debeat.*

** Referente SUETONIO Jul. c. 19. *e duobus* inquit, *consulatus competitoribus* L. LUCEJO, *M. que BIBULO, LUCEJUM sibi adjunxit : Pactus, ut is, quoniam inferior gratia esset, pecuniaque polleret, nummos de suo communi nomine per centurias pronuntiaret, qua cognita re optimates, quos metus ceperat, nihil non ausurum eum in summo Magistratu con-*

 cordi

cordi & consentiente Collega Autores BIBULO fuerunt, tantundem pollicendi : ac plerique pecunias contulerunt, ne Catone quidem abnuente eam largitionem e republica fieri.

XXII. Lex inde lata est LICINIA de Sodalitiis C. POMPEJO & M. LICINIO CRASSO coss. A.V.C. IDCXCVI. Haec autem res his elicitur conjecturis. Priore anno PHILIPPO nempe & MARCELLINO coss. CICERO sic scribit ad Fratrem : *IV. Idus Februarias sextius ab indice Cn. Nerio de AMBITU postulatus, & a quodam M. Tullio de vi. Eo die S. C. factum, ut Sodalitates decuratique discederent, lexque de iis ferretur, ut, qui non discessissent, ea poena, quae est de vi, tenerentur* . . . Sequenti vero anno Cn. Pompejus & M. Licinius Crassus, ut scribit Dio, poenam graviorem constituerunt adversus eos, qui largitionem fecissent, quasi vero ipsi minus deliquissent, quod non pecunia, sed vi Magistratum adepti essent. Hac lege causam dixit postero anno L. Plancius. Itaque cum in defensione ejus dixit Cicero : *Comitia Plancii aedilitatem petentis primum habere coepit Consul harum ipsarum legum Ambitus Autor ;* Consulem legum AMBITUS Autorem intelligit M. Licinium Crassum. Post Plancium inde M. Coelius, de quo in Oratione : haud scio, an de AMBITU, *an de criminibus istius Sodalium, ac Sequestrium similiter respondendum putem.* Et sequenti anno Milo, de quo Asconius : *Milo de Ambitu ab Appiis, de vi à L. Cornificio, de Sodalitiis à Fulvio postulatus est. Erat autem postulatus de Sodalitiis & AMBITU ea spe, quod primum judicium de vi futurum apparebat, quo eum damnatum iri confidebat, nec postea responsurum.*

* Sodalitia vero, uti supra innuimus, tribules decuriatos, populum descriptum, & Sodales ad vim faciendam paratos esse complexa, quin etiam coitionem cum petitoribus comprehendisse, ostendit Cicero pro Plancio, cum inquit : *Dubitabitis, quin coitio facta sit, cum tribus plerasque cum Plotio tulerit Plancius ?*

Et nummorum divisionem, cum addit : *Illud vero crimen de nummis, quo*

quos in circo flamineo deprehensos esse dixisti, caluit re recenti; nunc in causâ refrixit: neque enim, qui illi nummi fuerint, nec quae tribus, nec qui divisor, ostenderis;

Et exilii poenam, cum addit: *Nunc postulatur a vobis, ut ejus exilio, qui creatus sit, judicium populi Romani reprehendatis.*

Quin etiam eadem lex ipsos Judices edi ab accusatore sine rejectione voluit, sic enim idem ait: *Veniamus ad causam, in qua tu nomine legis Liciniae, quae est de Sodalitiis, omnes AMBITUS leges complexus es, neque enim quidquam aliud in hac lege, nisi edititios judices es sequutus, quod genus judiciorum, si est aequum, nulla in re, nisi hac tribuaria non intelligo, quamobrem Senatus hoc uno in genere tribus edi voluerit ab accusatore, neque eandem editionem transtulerit in ceteras causas. De ipso denique AMBITU rejectione fieri voluerit judicium alternorum, cumque nullum genus acerbitatis praetermitteret, hoc tamen unum praetereundum putarit . . .* cui haec satis nondum clara videbuntur, SIGONII libellus de Jure Pop. Rom. est adeundus, brevissimo ibi, ast pulcherrimo haec exposita commentario inveniet, licebit.

XXIII. Verum ne lex quidem Licinia, profuisse quidquam ad coercendum AMBITUM videtur, satis enim constat magnam hoc tempore inter consulatus competitores Scipionem, Hypsaeum, & Milonem contentionem fuisse, *cum non solum largitione profusa, sed etiam actionibus armatorum succincti peterent*, ut inquit Asconius, quo anno comitiis extractis, cum Calendis Januariis nulli essent consules, inde V. Calend. Mart. per inter Regem Cn. Pompejus Consul solus creatus statim iniit, & post diem tertium de legibus novis ferendis retulit. Duas ex Senatus Consulto promulgavit, unam de vi, alteram de AMBITU; poenam graviorem & formam Judiciorum breviorem. Utraque enim lex testes prius dari, deinde uno die atque eodem ab accusatore & ab reo perorari jubebat, ita ut duae horae accusatori, tres reo darentur.

* Siquidem Domitio & Claudio consulibus id est, proximo secundum Crassum & Pompejum coss. Anno, scribit CIC. ad Fratrem: *AMBITUS redit immanis, nunquam fuit par, Id. Quinct. foenus fuit Z. Z. ex Z. coitione Memmii, quam cum Domitio habuit &c. &c.* & post:

De AMBITU postulati sunt omnes, qui consulatum petunt, a Memmio Domitius, a Q. Curtio Memmius, a Q. Pompejo Messalla, a Triario Scaurus. Magna res in motu est, propterea quod aut hominum aut legum interitus ostenditur; opera datur, ut Judicia ne fiant.

** Addit DIO, POMPEJUM legisse omnes homines, ex quibus Judices sorte ducendi essent, & certum Patronorum numerum statuisse utrique parti, & laudatores sustulisse, adversus autem eos, qui AMBITUM fecisse arguerentur, eos quoque, qui simili de causa postulati fuerant, accusatores constituisse, magno praemio proposito. Nam quicunque duos reos fecissent, atque unum damnassent, ei impunitatem dedisse;

Unde scripsit ASCONIUS: *Milo factus reus AMBITUS apud Torquatum absens damnatus est, illa quoque lege Accusator fuit ejus Claudius, & cum ei praemium lege daretur, negavit. Post paucos quoque dies Milo apud Favonium Quaestorem de Sodalitiis damnatus est accusatore P. Fulvio, cujus lege praemium datum est.* PLUTARCHUS item latum à Pompejo scribit, ne Laudatores darentur, & numerum judicum centum sexaginta. M. ASCONIUS inquit, POMPEJUM trecentos sexaginta ex amplissimo censu legisse, ex quibus sorte ducendi erant in quaque quaestione.

XXIV. Inde JULIUS *Caesar*, *Dictator*, AMBITUS flammam restrinxit, non quidem lege, sed quod comitia cum populo partiretur, ut exceptis consulatus petitoribus, de certo numero Candidatorum pro parte dimidia, quos populus vellet, pronuntiarentur, pro altera parte, quos ipse dedisset. *

* Edebat autem Candidatos per Libellos, circa Tribus missos, scriptura brevi: *Caesar Dictator illi tribui. Commendo vobis illum, & illum, ut vestro suffragio suam dignitatem teneant.* SUETON. Jul. XLI. Eodem cum viveret, tempore, M. VARRO scripsit in libris de vita populi Rom. teste Nonio: *Tanta invasit honorum cupiditas plerosque, ut vel coelum ruere, dummodo Magistratum adipiscantur, exoptent.*

XXV. Agmen Romanarum de AMBITU legum. claudit. Lex JULIA ab AUGUSTO comitiorum Jus pristinum reducente, perlata, qui multiplici poena coercito AMBITU

Fabianis

Fabianis adeo, & Scaptienſibus tribulibus die Comitiorum, ne quid a quoquam Candidato deſiderarent. ſingula millia numum a ſe diviſit, referente hoc SUETONIO Jul. 40. adjicit DIO. L. LIV. *Auguſtum ſtatuiſſe, ut, qui largitionibus Magiſtratum petiſſent, quinquennio vacarent.*

* In pandectis quoque noſtris mentio fit hujus legis, in quos ex Modeſtini lib. 2. de poenis a Triboniano eſt translata; mirabitur fortaſſis Lectorum meorum quidam, qui fieri potuerit, ut de toto hoc legum de AMBITU cumulo, unica ſolummodo illa Auguſti in Digeſtis locum, ſuum invenerit? Mirari deſinet, qui Juris ante Juſtinianei Hiſtoriam inſpexerit; Imperator Triboniano, ejusque in componendo pandectarum Corpore adjutoribus injunxerat, ea tantum ex immenſa illa legum ſylva ſeligere, quae inſtituto ſuo, & Juſtiniani ſeculi moribus convenire perſpicerent; rationem vero, cur haec minus ad Juſtinianei Imperii Regimen quadrarent, poſtea plena manu dabo; aſt haec veluti per lancem ſaturam dicta ſunto.

Confer Brunquellum Hiſtoria Juris part. II. Cap. III. §. VIII. VIII. IX.



CAPUT

CAPUT III.

UBI DE CONSTITUTIONIBUS IMPERATORUM CONTRA AMBITUM Emissis Disseritur.

I. LEge illa JULIA AUGUSTI, de cujus in Capite antecedente mentio est facta, non opus fuit diu, siquidem paulo post extinctis, quos populus adhuc antiquae potestatis habebat, Reliquiis, Comitiorum Jus e campo, in quo populus conveniebat, in curiam, h. e. ad Senatum translatum est; * foedissima etenim illa Magistratuum mercatura eo excreverat, ut bene cum populo Rom. actum iri judicaretur, si in pejus malum, quam unius imperium non incideret; ut recte Plutarchus in vita Caesaris observat.

* Historiam hujus rei his verbis exprimit TACITUS 1. an. c. 15. *Tum primum e campo comitia ad Patres translata sunt. Nam ad eam diem, etsi potissima arbitrio Principis, quaedam tamen studiis tribuum fiebant. neque populus ademptum jus questus est, nisi inani rumore: & Senatus largitionibus, ac precibus sordidis exsolutus, libens tenuit, moderante Siberio, ne plures quam quatuor Candidatos commendaret, sine repulsa & AMBITU designandos,* Adde Brunquelli Hist. Jur. P. I. C. X. II. §. 1. & seqq. confer quoque Heineccium in Hist. Jur.
Et Koppium in Hist. Jur. P. I. Epocha III. th. IV.

II. Ab hoc tempore lex AMBITUS ad eos tantum visa est pertinere, qui in municipiis duum viratum, vel Sacerdotium corruptis Decurionum suffragiis, vel advocata servorum aliave multi-

multitudine obtinuerint. * Desiit autem in urbe locum habere ideo, quia Princeps, ad quem Magistratuum creatio, procul a populi favore pertinet, accusari non potest; nec qui a Principe dignitates adepti sunt, consequenter. **

* DUUMVIRI dicti sunt a numero duorum, & exemplo duorum Romanorum Consulum creati sunt. Non Duumviros, sed Duumvirum in singulari dicit *Theodos. L. Duumvirum 13. C. de Magist. munic. Duumvirum impune non licet extollere potestatem Fascium extra metas territorii propriae civitatis. Quia, etsi erant duo, unum tantum Magistratum administrabant, seu unius Judicis vicem sustinebant.* L. Magistratu 25. ff. ad municip. aut quia, sicut Consules singuli alternis duodecim fascibus utebantur, ita Duumviri alternatim duos fasces praemittebant. Panciroll. de Magist. munic. c. 8. & post eum Pitisc. voce Duumviri; Coloniae, & municipia omni cultu ad Ambitionem usque imitari, ac spirare quasi studebant urbem parentem; cujus ex utero incolae traduces ad alias inhabitandas terras mittebantur. Hinc Decuriones alter veluti Senatus, ac simulacrum quoddam amplissimi ordinis in Urbe. Hoc ex corpore lecti Duumviri, quot Romae Consules. Quod si isti Duumviri totidem quasi Consules in ea republica praeerant, iisdem etiam modis ad istud Fastigium evehebantur, jam vero, uti superius ostensum est copiosissime, Consules non sine sordibus in Urbe matre creabantur; necesse igitur erat, ut ne filii eadem tentando a parentum institutis deflecterent; factisque propriis ostenderent, AMBITUM in municipiis quoque cessare haud posse, re, qua adipiscenda committebatur, statum pristinum occupante.

** Unde Modestinus l. un. ff. de l. J. de AMBITU: *Haec lex in Urbe hodie cessat, quia ad curam Principis Magistratuum creatio pertinet, non ad populi favorem.*

III. Illo Jure itaque sub Imperatoribus, quantum ad crimen AMBITUS in municipiis commissum, usa est gens Romana; contraque facientes per Senatus Consultum centum aureis cum infamia, puniebantur; additum tamen legi erat, ut, si quis AMBITUS damnatus, alium eodem de scelere convicerit, in integrum restitueretur, non recepta tamen, quam mulctatus solverat, pecunia. *

 * Id

* Id quod ex lege Calpurnia descendere adnotavit GRAVINA, in Doctissimis, quas cum orbe erudito communicavit, Originibus J. Civilis, quas recensuit, & adnotationibus auxit GODEFRIDUS MASCOVIUS Lipsiae 1737. in 4to.

IV. Atque haec quidem de crimine AMBITUS tollendo Pagani Legislatores moliebantur, ex quo autem Christianae veritatis lumen in orbe Romano resplenduit, eoque collustratus CONSTANTINUS M. Paganam superstitionem deseruit, nihil reliqui habere, quam ut illa, quae olim recte constituta erant, in usum revocaret, & novas insuper leges regendis moribus, & frangendis vitiis accommodatas constitueret, *inter quas prae ceteris eminere cum voluptate videmus illas, quas de AMBITU comprimendo sapientissime tulit, is enim sub Imperatore hoc caput erigere, & de Aula in curias transire coepisse ex latis contra legibus colligimus.

* NAZARIUS in Panegyrico. cap. XXXVIII. Similia observant EUSEBIUS in vita Constant. M. L. II. C. 30. & auctor incertus Panegyrici, Constant. Aug. dicti C. IV. demum, qui memoriam laudatissimi hujus Principis aeternam fecit aureo suo Constantino M. FRANCISCUS BALDUINUS.

V. Prima Constitutionum istarum his verbis concepta: *Si quis Judicio nostro se adeptum codicillos adstruxerit, & idem vel superna codicillorum impressio, vel scriptura adstipuletur interior, tamen si ad hoc pecuniam constabit separatam, nihilominus rejectus in plebem, quo plus extorquere conatus est, abducetur: hos enim solos, qui intra Palatium versati sunt, vel administrationibus functi, ad honores excipi oportebit, ceteris cunctis exemptis & suis restitutis.* *

L. 1. Cod. Theodos. de Honorariis Codicillis.

* Ad pleniorem constitutionis istius intelligentiam dignitatum illorum temporum rationem exponere, unaque causas demonstrare, quae alterum honoris gradum ardenter concupiscere, negligere vero alterum, ac plane repudiare, Candidatos adegerint, juvabit: .. DECURIONES publici

publici consilii causa, quod & Origo nominis ab ULPIANO *in L. Pupillis §. Decuriones ff. de Verb. sign.* exposita indicat, in municipiis, Coloniisque conscribebantur: erantque suae Curiae quasi Senatores *L. omnes C. de Decur.* unde & βουλευταὶ Graecis appellantur. Per eosdem omnia civitatum munia explicabantur, nam & pecuniam publicam tractabant, annona, uti civitati superesset, providebant, Legatos, Syndicos, tutores periculo suo constituebant: tributa quoque, census, legata Reipublicae relicta eorum vigilantia ac sollicitudine exigebantur, omniumque in universum, quae civitatis administrationem respicerent, eis onus imponebatur. *L. 2. §. 1. cum seq. L. non debere. L. Libertus §. exigendi. L. Lucius. & L. Ult. §. Imperatores ff. ad Municip. L. ex facto ff. de negot. gest. L. Decuriones. C. de admin. rer. ad civit. pert.*

Tot muneribus obnoxii Decuriones cum essent, mirum videri non debet, si curiam, quoad posset, quisque defugeret adeo, ut poenae loco Christiani ab impiis Principibus, curiis addicerentur: quemadmodum Cassiodor. trip. Hist. L. 1. Cap. 9. & Lib. 6. Cap. 7. & Lib. 7. cap. ult. testatur.

Jam vero expeditior his sese muneribus, an oneribus dicam, eximendi modus haud supererat, quam Dignitates Aulicae, militiae Palatinae: ordinesque Sacri, de quibus omnibus erudite more suo GUIDO PANCIROLLUS in Notitia Dignitatum cum Orientis, tum Occidentis & Ezech. Spanheimius in Orbe Romano. p. m. 335. & seq.

His officiis vestiti, honorarios codicillos adeptae nimirum testes dignitatis, consequebantur; Codicilli autem laudati duorum erant generum, *uni imaginarii, adsimulatitii, honorum adumbratorum, imaginariarum, & honorariarum Dignitatum* [verba sunt Codicis Theodosiani] *quos adeptus quis est per suffragia, vel qualibet Ambitione pretio aut gratia emendicatus*, atque de omnibus illis memorata loquitur CONSTANTINIANA constitutio;

Alteri contemplatione meritorum, & laborum tam toga, quam militia exantlatorum ergo dabantur, de quibus L. 2. Cod. Theod. Confer. GODEFREDI Commentarium legibus his adscriptum.

VI. Altera, quam de AMBITU, emisit, sapientissimus Imperator, constitutione cautum est, Decuriones curiae oneribus eximi minime, dignitates si forte suffragio meruerint; haec vero hujus constitutionis sunt verba: *Si vero Decurio suffragio comparato perfectissimatus, vel Ducenae vel Centenae*

vel Egregiatus meruerit Dignitatem declinare suam curiam cupiens, codicillis amissis, suae conditioni reddatur: ut omnium honorum & munerum civilium discussione perfunctus juxta legem municipalem aliquam praerogativam obtineat. *

L. 5. Cod. Theod. de Decurionibus.

* Quid hic sub suffragii nomine veniat, paucis est declarandum: Van Espen in Diss. ad legem Juliam de AMBITU seu de Officiorum Venalitate §. 3. CONSTANTINUM, suffragium, pro PECUNIA DATA accepisse autumat, eum in finem tit. de Suffragio in Codicis Justinianei Lib. IV. relatum adducens, mihi autem, quod pace tanti viri, quem impensè veneror, dictum sit, alia de vocabuli hujus apud antiquos usu sententia sedit, *Nimirum suffragia pro vocibus & scitis, quibus vel in Magistratu mandando, vel reo judicando, vel lege aut rogatione sciscenda; aliave re statuenda voluntatem quisque indicat, indicandis venisse.* L. 32. ff. de L. L. L. 5. ff. quod cujusque Universit. L. 6. §. 1. ff. de Decurionibus, L. 8. ff. de muner. & honor. L. ult. C. de Silentiar. & Decur.

Suffragium etiam in constitutionibus auxilium, *& Patrocinium honorum adipiscendorum causa latum, ac praestitutum significat.* L. 1. si cert. pet. de Suffr. in Cod. Theod. L. 7. C. de Advoc. divers. Judic. Nunquam vero suffragium ipsos numos ad illud emendum datos significasse vel quam Van Espen ad suam stabiliendam sententiam attulit Cod. Justin. legem, inspicienti patebit.

VII. CONSTANTIUS CONSTANTINI haud degener Filius Patris constitutionem poenali sanctione est prosecutus, nempe: *ut, quicunque fugientes obsequia Curiarum, umbras & nomina adfectarint dignitatum, tricenas libras argenti inferre cogantur: manente illa praeterita inlatione auri, qua perpetua lege constricti sunt.* *

* Verba sunt. L. 2. Cod. Theod. de honor. Codicillis.

VIII. Extat quoque CONSTANTII alia adversus honorum mercaturas Constitutio in L. 25. C. Theod. de Decur. qua una deplorat, hujusmodi Nundinationibus desertas relinqui curias:

Quoniam

Quoniam emptae Dignitatis obtentu (ait) *curias vacuatas esse non dubium est, placuit, ut cuncti, qui suffragiis Dignitatum insignia consecuti sunt, immeriti honoris splendore privati, civilium munerum solemnitate fungantur; eorum sane intemeratas, inconcussasque dignitates volumus permanere, qui vel Judicio Provinciarum in officium legationis electi sunt, vel honestis testimonii adminiculis enitentes talium dignitatum privilegia, insigniaque meruerunt.*

IX. In L. 26. Cod. Theod. de Decur. subjuncto CONSTANTII, & Constantis Impp. nomine emissa *faedari honores dicuntur illiberali isthoc Commercio*; & lege 27. h. t. Sancitur, *ut ad civica munera detrudantur ii, qui indebitae dignitatis insulas foeda familiaris rei vexatione* * *mercantur.*

* Id est, ut Van Espen Laud. Diss. bene monet, foeda rei familiaris erogatione, seu potius profusione. Adde commentarium GODOFREDI his legibus annexum.

X. Neque JULIANUS suo in tollendo AMBITUS crimine officio deesse voluit, * exstat enim Imperatoris hujus, qui multa alias male, haec tamen optime egit, constitutio L. 1. Cod. Theod. si certum petatur: quae, cum verbis pulcherrimis sit expressa, piaculo mihi ducerem, suum nisi hic locum inveniret: *Foedis commentis, quae bonorum merito deferuntur, quidam occupare meruerunt, & cum meruissent in Rep. quolibet pacto versari, repetendam sibi pecuniam, quam inhoneste solverant, imprudentius, atque inhonestius arbitrantur, alii etiam, quae tunc donaverant, vel potius projecerant ob immeritas causas, invadenda denuo crediderint. Sed quia leges Romanae hujusmodi contractus penitus ignorant, omnem repetendi eorum, quae prodige, nefarieque projecerint, copiam prohibemus; qui itaque repetere nititur, vel repetiisse convincitur, & quod dedit, apud Suffragatorem ejus manebit, vel extortum restituet, & alterum tantum fisci viribus inferre cogatur.* **

 * Sub

* Sub CONSTANTIO Imp. cujus fasces JULIANUS suscepit, Palatinorum, & Aulicorum ope, seu suffragio quidam ad honores, & officia pervenerant, pecuniamque eum in finem suffragatoribus dederant, quae cum sub JULIANO reposceretur, & violenta quandoque manu eriperetur possessoribus, JULIANO illud hoc edicto visum est prohibere, addita, quam lex ipsa loquitur, poena, & omni in posterum repetitionis denegata facultate . . . ùt & alias, si Juris ratio quaeritur, cum utriusque dantis inquam, & accipientis turpitudo versatur, potior semper est accipientis, & possidentis ratio, sive causa. *L. 3. & 4. ff. de condict. ob turpem causam.*

** Mentionem legis hujus facit AMMIANUS MARCELLINUS. L. 22. Immo & JULIANUS, biennio jam ante hanc legem latam, eo ipso die, *quo Parisiis AUGUSTUS declaratus fuit*, de honorum suffragiis, quin & adversus ea, aliquid caverat, uti refert idem AMM. MARCEL. L. 20. ubi JULIANUM ita loquentem inducit: *Ut autem rerum integer ordo servetur, proemiaque virorum fortium maneant incorrupta, nec honores AMBITIO praeripiat clandestina, id sub reverenda consilii vestri facie statuo, ut neque civilis quisquam Judex, nec militiae Rector, alio quodam praeter merita suffragante ad potiorem veniat gradum, non sine detrimento pudoris eo, qui pro quolibet petere tentaverit discessuro . . .*

Digna profecto verba, quae ad memoriam hominum sempiternam in aes incisa, pro Rostris omnium civitatum proponantur, in eo etiam albo, quod nemo non legere possit, nemo unquam ausit refigere.

XI. Vitium AMBITUS, cum Eunuchorum, Libertorum, Palatinorum, aliorumque Aulicorum apud Imperatores potentia crevisse, & decrevisse, Historia temporum illorum nos uberrime docet, maxima autem incrementa eorum regnum sub Theodosio coepisse ZOSIMUS testis est, Libro 4. haec in verba erumpens:

Spadonum plerique, quos - - - - - - vellent Rectores subvehebant, & totius Imperii potestatem habebant, Principis animum, quo vellent, flectentes; pergit idem Autor nonnullis interjectis: *Cum enim temerè & in indignos publica insumeret, pluribus egere coepit pecuniis, ea que re Provinciarum administrationes venales proposuit quibusvis accedentibus*

dentibus nulla existimationis aut honestae vitae ratione habita, quin eum idoneum Judicans, qui agri vel argenti plus afferret, adeoque videre erat collectarios & nummularios, aliosque, professiones in foro foedissimas obeuntes, Magistratuum insignia ferre, majoremque pecuniae vim habentibus provincias tradere * Zosimi loco optime concinit, quod Claudianus Lib. 1. de Eutropio Eunucho his Theodosianis temporibus:

Quidquid se Tygris ab Aemo
Dividit, hoc certa proponit merce locandum
Institor Imperii, caupo famosus honorum
Hic Asiam villa pactus regit: ille redemit
Conjugis ornatu Syriam: dolet ille paterna
Bithynos mutasse domo, suffixa patenti
Vestibulo pretiis distinguit regula gentes.
Tot Galatae: tot Pontus erat, tot Lydia nummis:
Si Lyciam tenuisse velis, tot millia ponas:
Si Phrygas, adde parum: propriae solatia sortis
Communes vult esse notas, & venditus ipse
Vendere cuncta cupit, certantem saepe duorum
Diversum suspendit onus, cum pondere Judex
Vergit, & in geminas nutat Provincia lances,
Non pudet, heu superi, populos venisse sub hastâ
Vendentis: certe pudeat, quod jure sepultum
Mancipium tot regna tenet, tot distrahit urbes.

* Equidem est hoc fatum CONSTANTINI M. insequentium Christianorum Imperatorum, quin & Theodosii nostri, ut pleraeque eorum actiones perstringantur a Coaetaneis scriptoribus, immo & recentiorum Christianorum quam plurimis, ZOSIMO quoque Pagano tale quid excidisse non immerito suspicatur Van Espen in laudata saepius dissertatione; non tamen omnia de THEODOSIO hic narrata esse conficta vel ipse S. Chrysostomus probat, homil. 16. ad pop. Antiochenum sic scribens: *Magistratus non penitus sunt animi virtutis demonstrationes: pecuniis enim sunt venales, & amicorum vindicantur assentationibus.* Verum inde minime gentium probare voluerim AMBITUM sub THEODOSIO

DOSIO ita invaluisse, ut nullis amplius legibus coerceretur; Quin contrarium ex legibus mox afferendis luculenter ob oculos ponemus.

XII. THEODOSIUS SYAGRIO, & EUCHARIO Coss. sic statuit: *

Officiis publicis, atque militiae muneribus, expertes, quos habent, secretae quietis umbracula; quibus honorum omnium species suffragio est magis parta, quam merito, inter se potius volumus de tempore agitare discrimen, quam cum his ulla usurpatione conjungere, quos non adumbratis honoribus, sed in actu positi sint, mortalitate conjunximus. **

* L. 7. Cod. Theod. de Honor. Codicil.

** Opponit hic Imperator laudatissimus vitam solitariam, atque umbraticam inclyto eorum vitae generi, qui meritis in Rempublicam suis, omnium oculis obversati sunt, hosque inter se de temporis ratione [quoad acquirendos nempe honorum titulos] certare permittit, ceteris adumbras, & solitudines, quibus adsueti, remissis.

XIII. Cum autem, uti temporum istorum Historia nos docet, THEODOSIUS non omni, quo potuisset, conatu, huic sese vitio opposuisset, serpere coepit, atque talia pridem incrementa capere, ut HONORIUS, & ARCADIUS THEODOSII Filii aulam ineptissimis Ministris, curias indoctis judicibus, municipia denique indignissimis Praesidibus repleta invenerint; haec tandem pestis, ut a Republica averteretur, HONORIUS sequentem emisit constitutionem: *

Quisquis Judici faenebrem pecuniam mutuaverit. ** *Si in Provincia fuerit versatus, quasi emptor legum atque Provinciae, vel si quis collectarius honoris pretium dederit Ambienti: exilii poena una cum ipso Judice plectetur.*

* L. Pen. Cod. Just. Si certum pet.

** Hoc est, recepturus ab eo pecuniam cum in Provinciam, cui praest, venerit, ut sit sensus: *is, qui Praesidi Provinciae foenebrem pecuniam mutuaverit, recepturus ab eodem, si vel cum in eam Provinciam, cui praest, ipse creditor venerit, exilio mulctatur, quod furti auctor ei fiat, quasi emp-*

ter

DOSIO it perceretur ; Quin
contrarium oculos ponemus.

XII. THE CHARIO Coſſ.
ſic ſtatuit : *

pertes, quos l muneribus, ex-
omnium ſpéci quibus honorum
potius volumu merito, inter ſe
la uſurpatione uam cum his ul-
in actu poſiti ſ s honoribus, ſed
* L. *

** Opponit h iam, atque umbra-
ticam incly Rempublicam ſuis,
omnium oc iporis ratione [quo-
ad acquire ermittit, ceteris ad-
umbras, &

XIII. Cum Hiſtoria nos do-
cet, THEO iiſſet, conatu,
huic ſeſe viti atque talia pri-
dem increme & ARCADIUS
THEODOS ris, curias indo-
ctis judicibus s Praeſidibus re-
pleta invener epublica averte-
retur, HON utionem : *
*Quisquis j verit. ** Si in*
Provincia f n atque Provin-
ciae, vel ſ dederit Ambien-
ti : exilii p r.
* L.

** Hoc eſt, inciam, cui praeſt,
venerit, u *foenebrem pecuniam*
mutuaverit rovinciam, cui praeſt,
ipſe creditor ei fiat, quaſi emp-
ter

TIFFEN® Color Control Patches © The Tiffen Company, 2007
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
Inches Centimetres